

XXXVIII.

LACVNA CHRONICI MAGDEBVR-  
GENSIS EDITI

ex MSto suppleta.

**S**Ed nunc isto tempore *Urbanus* Papa quintus cum Collegio Cardinalium de Ancona se transferre dignatus est Romam, Anno Domini MCCCLXVII. Sub ejusdem decursu temporis *Secta Beghardorum & Beghinarum* quæ licet dudum in Viennensi concilio a Clemente Papa V. damnata & reprobata fuerit, adhuc tamen Sectæ reliquæ sub quodam fuce religiositatis in quibusdam partibus Alemanniæ remanserant, nunc per inquisitorem hæreticæ pravitatis, videlicet *Magistrum Walterum Kestlingen*, ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctorem ad hujusmodi Inquisitionis officium autoritate Apostolica in certis partibus Alemanniæ deputatum isto tempore in Magdeburg & in Erfordia & partibus conyicinis est abolita & deleta, propter articulos nefandos & hæreticales, in *Constitutionibus Clementis* titulo de hæreticis, Capitulo ad nostrum dudum damnatos, quos quidem articulos plurimæ personæ de Secta memorata adhuc inquisitionis tempore sapere & tenere damnabiliter sunt inventæ. Inter hujusmodi autem utriusque sexus personas, quædam licet statui quidem illius Sectæ exteriori habitu & conversatione viderentur conformes, ab erroribus tamen insontes extiterunt; quædam vero ab erroribus suæ sectæ corruptæ, tamen resilierunt, fidem Catholicam profitentes; & hæ utroque in statu simplici Christianæ religionis sunt dimissæ; nonnullæ vero in sua vesania pertinaciter perdurantes, maximè in Erfordia & partibus ibi vicinis, ignibus sunt crematæ. Insuper in isto Domino Archiepiscopo erat illud bonum, memoria dignum, quod licet ipse austerus ad extraneos videretur, ad intraneos tamen terræ fati se placabilem & tractabilem exhibuit, ad ea quæ sunt pacis. Unde ipsi in civitate Magdeburg semper in bona pace stetit, & si quando quicquam scrupulositatis & dissidii inter eos subortum fuit, hoc mox per unum utriusque parti placitum atque fidum mediatorem intercipiebatur, & intervenientibus placitis amicabilibus, absque commotionis turbine, ad amicabilem concordiam reducebatur, fuit etiam iste Dominus zelator pacis, non solum per totam terram suam, sed etiam per terras vicinas, quantum potuit: Unde cum in castrum *Stekelenborgk* prope *Bodam*, quod erat Domini *de Hademersleve*, residerent raptores, qui spoliabant undique viatores, ipse Dominus Archiepiscopus cum gente sua obsedit istud castrum & obtinuit atque fregit.

Item Dominus *de Schulenburgk* in via adeundi Dominum Archiepiscopum captus est à Domino *de Evelen* illius aperto inimico. Ipse Dominus Archiepiscopus vadens in *Evelen* ipsum Dominum *de Evelen* arctavit in tantum, quod oportuit sibi illum captivum liberum præsentare ad currum, eo quod in conductu suo & itinere veniendi ad eum captus esset. Præterea cum de quodam castro Domini Episcopi *Hildensemensis*, scilicet *Walmode*, per residentes in eo in quoslibet transeuntes per vias multa spolia committerentur nec Dominus *Hildensemensis* requisitus a Principibus remedium adhiberet, tandem iste Dominus *Theodoricus* Archiepiscopus una cum Domino *Alberto Halberstadenfi* Episcopo & Domino *Magno de Brunswich* consilio inito, pro communi pace terræ copiosum exercitum congregaverunt & terram *Hildensemensem* intraverunt, ubi postquam per duos dies devastaverunt terram incendiis & rapinis, tertia die locaverunt se prope civitatem *Hildensemensem* cum sua gente, pauca quidem in comparatione istius exercitus. Illi pedestres aggressi sunt istos; Isti autem de exercitu partim erant equites, & partim pedestres, sed absque ordine acierum, qui ad bella requiruntur, & ideo bellum perdiderunt: nam ut quidam sapiens ait: *In omni prelio non tam multitudo quam ars & ordo solet præstare victoriam. Et multum copiosus exercitus, magis propria multitudo quam hostium virtute deprimitur, quando non bene castrorum acies ordinatur.* Hæc ille. Igitur isti in exercitu de sui multitudine confidentes inordinato tumultu in hostes intulerunt, ex quo tumultu plures pedestres in exercitu per eques eisdem partis fuerunt equorum calcibus conculcati & mortui, multi etiam de exercitu fuerunt ab hostibus captivi, & plurimi interfecti, & sic bello perduto reliqui, qui potuerunt, fugam acceperunt. Hoc factum est Anno Domini MCCCLXVII. tertia die Septembris. Sed unum divinæ propitiationis beneficium ibi præstitit Deus, quod vexillum sive Bannirium *Beati Mauricii*, quod in ipso exercitu habebatur, cautulose fuit conservatum, & salvum ad locum suum in *Magdeburg* reportatum, unde bene verificatum fuit illud proverbium, quo dicitur, quod vexillum *S. Mauricii* suffragatur non ad invadendum, sed ad defendendum, vulgariter: *Se ne wil nicht heven, sunder si weren.* Porro inter mortuos in bello præcipue fuerunt isti: Dominus *Woldemarus* comes *de Anebalt*, qui fuit unus de subpedibus equorum conculcatus &c.

Bbb b 2

XXXIX.